

Werk

Titel: De Supputatione Multitudinis à Nullitate per Unitates finitas in Infinitum collin

Autor: Weigel, Erhard

Verlag: Bauhoferianis

Ort: Jenæ

Jahr: 1679

Kollektion: fid.mathematica

Signatur: 8 MATH I, 3933:4 (49) RARA

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN857449303

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN857449303>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=857449303>

LOG Id: LOG_0004

LOG Titel: Caput II. complectens Supputationis reflexae Specimina Prima, Multitudinis Autorem, DEUM, Sole clarius ostendentia

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

CAPUT II.

complectens

Supputationis reflexæ

SPECIMINA PRIMA,

*Multitudinis Autorem, DEUM, Sole clari-
rius ostendentia.*

§. I.

Primum & radicale specimen reflexæ supputationis, quoad Multitudinem universam, nititur ipsius primi principii rerum finitarum, ipsius nempe **NIHILI** seu *Nullitatis* (unde Numeri puri progrediuntur) Demonstratione directâ; non tantum quâ possibilitatem, quod annihilari possit Multitudo; sed & quoad exercitium, quod multitudo de se nihil sit, quantacumq; cogitetur aut percipiatur. Spectant huc quoad **INTELLIGENTIAM**.

(1.) *Definitiones*: quod *Nihil de se* (purè nihil, seu planè nihil) sit id quod concipimus, si planè non cogitamus, ut *Re-*
strictè Nihil autem sit *Nihil* quod definitè cogitamus, ut *spatium*, seu fini-
bile, (repletum vel vacuum:) *nulla decas, null-hundred: finis, pun-*
ctum, linea, superficies, non plus quàm tantum: cum reliquis.

(2.) *Axioma* finitorum primum: *Rei cujusque fines esse proximum*
nihil rei definitè cogitatum, propriam rei positionem eatenus negans,
quat. illud loco rei cogitatur. Cogitatur autem loco rei vel simpli-
citer & absolutè, vel secundum quid & relativè. Finis absolutus
est proximum nihil totius ante rem quo cœpit, & post rem quo de-
fuit, loco rei cogitatum; illud, *Initium*; hoc, *finis* καὶ ἐξοχλῶ. præcisè
dicitur. Nam si vel tantillum *Rei jam* vel *adhuc* extat; *illo*, res incipit,
vel ante cum tantillo cœpit; *boc* verò, res non defuit nec defuit, dum
ejus aliquid adhuc extat. E. nec initium nec finis rei quicquam
est. *Rei Finis* relativus est proximum nihil ulterius præter ipsam
rem, adeoque proximum rei nihil inter rem & alias à se, saltem pos-
sibiles, quo discernitur ab illis; v.g. nihil partium inter se, quo discer-
nuntur & determinantur intra totum.

C

(3.) *Ex-*

(3.) *Experientia prima* : *Mundi partes omnes finitas esse* ; seu quamlibet Mundi rem, & quamlibet ejus partem, finibus certis gaudere, quibus *unum* pro se, *totum, tantum*, nec plus (*certum*) definitur, quod cum reliquis eat. sibi similibus **NUMERUM** constituit, ut *Subjectum & Materiam* : cujus **ORDO** vel *Dispositio, Forma vel Essentia, tales & tantos* (certos,) effectus hinc producibiles innuit, & si validè sic ponatur utrumque, sistit.

(4.) *Computus* : **SUBTRAHE** fines externos, à re finitâ *continué* ; remanebunt interni *continué* : tandemque *subtrabe* punctum intimum ; remanebit merè nihil : & vicissim, *pone* punctum ; **ADDE** fines finibus *continué* circumcirca, quovis ordine ; conflabis Tibi rem finitam. Et sic adhibitâ simplici *Prosthapharesi* nascitur

SCIENTIA

Fundamentalium prima :

Totum Mundum esse Nihil definitè cogitatum.

Reflexio Mentis.

§. II.

Sed cum Cogitatio definitiva, qua totus mundus cogitur, tantè valoris & momenti sit, ut omnia finita, quæ quidem unquam extant (*τὸ πᾶν*) simul ponat (ut *semel extent*) ita quidem ut immensi complexûs partes, & particulæ partium, eo quo constant *Numero* pariter & *Ordine*, seu formâ certorum effectuum operatrice, simul ab omnibus hominibus unanimiter percipiantur ; adeoque realiter & actu, vel efficaciter & validè sint, ipsosque nos *an, quid, quale, quantum*, quodque sit? informant ; igitur quisque facilè reminiscitur, tam efficacem cogitationem nequaquam nostræ Mentis esse, quippe quæ, finium & nihili spatique particeps, adeoque de se nihil, à Mundi rebus afficitur potius, quàm ut eas cogitando faciat ; sed eam, quoties exercetur, ab **INFINITA MENTE** semper exerceri, quæ nullum planè cum nihilo spatioque commercium habet, nec à finibus afficitur ; aliàs enim ipsa nihil foret. Quo casu nil quicquam esset aut fieret ; cum nihil nec se nec aliud quid à se facere possit, ut aliquid sit.

§. III.

§. III. Eâ verò Reminiscentiâ fretus quisque nostrum, licet solus sit, illicò sapit,

INITIUM SAPIENTIÆ:

Præter hominem, præterque Mundum universum, DARI DEUM ! id est, dari MENTEM infinitâ vi cogitantem. Quæ licet scientiâ simplicis intelligentiæ simul omne cogitabile nunquam non in se sibi perspectum habeat ; scientiâ tamen Visionis certa quædam ex omnibus cogitabilia, certo quodam initio jam olim statuisset ; propagines autem eorum etiamnum statuere, deprehenditur extra se, vel præter se, dum loco nihili, seu loco spatii (quod extra DEUM eat. cadit, qt. DEUS nihilo spatiove nullatenus afficitur,) solâ cogitatione suâ decretivâ, solo jussu, solo verbo, solâ sapientiâ suâ decernente, certa Diagrammata mutuis quasi collisionibus inter se correspectiva delineavit, & adhuc delineat ; iisque Sapientiam & Beatitudinem suam superabundantem etiam extra se diffundere, finitisque rebus, tanquam indigis, umbram ejus aliquam concedere gaudet :

§. IV. Inter quas res & Nos (quippe non minùs ad reliquæ finiti) sumus ; quibus tamen hunc honorem habet infinita MENS, ut impensius de Nobis cogitet : dum non tantùm directè, nos esse pariter & vivere jubet, ipsamque cogitationis suæ vim in nobis, ut ab extra venientem, nos resensitivè pati, seu percipere, facit ; sed & quod maximum est, dum nos dignatur, ad similitudinem sui, certarum actionum Autores, ipsasque causas agentes esse, similique cogitatione quippiam agere posse,

§. V. Similiter enim, ac ipse DEUS, non tantum liberè cogitare, proprioque motu seu sponte certum Scopum attendere, nobis congruum visum etiam intendere, possumus ; sed & Media scopo congrua cum electione computare, conquirere, conferre, quod placet, decernere, positis tamen omnibus ad agendum requisitis etiam non agere, valemus : quasi vis infinitæ cogitationis in ipsâ nullitate finium nostrorum Ideâ simili per reflexionem figeretur, quæ dicatur MENS humana.

§. VI. Licet autem quisque nostrum sibi soli, non aliis, perceptibiliter cogitet, dum in nudo Spatio diagrammata cogitatione describit, aut sibi quidvis imaginatur (wenn er Schlösser in die Luft baut) adeoque licet nequaquam efficaciter cogitare, nec

quicquam aliud naturā, quā **ARBITRARI**, possit homo; (solus enim Deus efficaciter cogitare potest; (ne frustra tamen *arbitremur*, motus & effectus certos naturales, *ad intentionem ARBITRII nostri decretivam*, nobis idealiter tantum cogitantibus, ipse DEUS efficaciter unā cogitans, adeo promptè præstat, ut motuum eorum exercitium, omnifariam à nobis desideratum, in potestate nostrā naturaliter esse, nobisque jure naturæ compere, dici possit.

Jure quidem non proprietario, licet ususfructus in rem nostram cedat in solidum; sed fiduciali, tanquam **FEUDUM & Creditum** naturale, quod, quā totam speciem, à DEO **FIDEI** nostræ (tanti nimirum æstimamur indigni) **COMMISSUM** est. Ut secundum eam quantitatem, quam quovis casu, quavis occasione, quavis circumstantiā, Feudo creditoque specifico novimus inesse, nec plus nec minus (nam eat. tantum fidei commissa species motus naturalis est, & tantum eat. etiam nostra semper interest) sponte semper agamus, etsi contrarium agere non minus in potestate nostrā naturali reperiatur: quo tamen ultrò, libenter & constanter, abstinuisse, liberalis ingenii summa laus, summum gaudium, est. Ejus rei gratiā, nempe ne contra proprium interesse (præter fas & æquum, præter id quod rectam Mentem decet, eique congruit) quicquam arbitremur & decernamus, **DIRECTORIO Libertatis**, legibus nempe fidem nostram adstringentibus, nec nisi fideliter observandis (fides enim utramque paginam facit in Feudo, Credito, Fidei commisso,) Deus ipse cavet, quibus Mens nunquam non ad id quod rectum est, seu quod ipsi rationi statū rectæ Mentis congruit, h. e. **ad VERUM & BONUM**, *arbitrando prosequendum*, à DEO quasi manuducitur.

§. VII. Manuducitur autem clarè semper & certò: DEUS enim non obscure nec vagè sed instar extantissimæ lucis nos ducit (modo reminiscamur) ut errantes *ἀναπολογητοὶ* simus. Sine coactione tamen ducit nos DEUS, quasi comiter, ô quantus honor! ita quidem, ut quando ductum hunc (infinite plusquam paternum) sponte sequimur, quod præstere possumus, ostensivam rectitudinis (veritatis, bonitatis,) oblationem sponte saltem amplectendo, nempe per decretum executionis oblationi *libenter saltem annuendo*; tunc nobis ipsis id **VERUM**, ut à nobismet ipsis *computatum*; & **BONUM**, ut à nobismet ipsis *actum*, cum effectu juris imputetur: licet quoad

quoad rem nemo nostrum ipse recti quicquam efficaciter agere queat, adeo quidem, ut nec *annuere* ductui Divino nostrum sit, cum ipse DEUS id jubeat, & ad id nos ducat & urgeat, ipsumque factum praestet: modo nos pure nihil agamus, i.e. modo permittamus, concedamus, ut id bonum a DEO fiat, modo non cohibeamus assensum nostrum, modo non renuamus, d. Velle nostrum DEO committamus, dirigendum.

§. VIII. Id solum igitur revera nostrum est, solisque nobis debetur, quando ductui Divino sponte non annuimus. Quam negatione non pure nihil; sed minus quam nihil, agimus: quia non tantum id, quod ductus ostendit, simpliciter non agimus; sed &, quod annuendo facere debebamus, ut fieret; id abnuendo seu negando potius impedimus, ut cesset, cum non nisi per nos fieri possit, quod per nos fieri debet. Algebraica proinde seu privativa Quantitas est *avouia*, nec nude nihil; sed tanto minus quam nihil, valet, quanti res est quae fieri debebat. *Avouias* igitur Causa propria necessario solus ille liber (ad id quod renuit obligatus) Homo nempe nihili, nauci, censerit debet, ut talis sit causa qualis effectus. Ipse vero DEUS, cum infinitus sit, nec ullis finibus afficiatur, *fines transgredi*, quod est *errare*, nequaquam potest: imò sicut RECTUM id solum est, quod divino ductui congruit; ita NON RECTUM, falsum, erroneum, malum, id solum est, quod divino ductui non congruit. DEUS igitur qui liberum adeo committer ducit, trahit, tandemque minis urget, ad bonum, & quidem ad sibimetipsum bonum, annuendo saltem amplectendum (id quod liber imprudens, utut annuere facile possit, sponte tamen renuit,) DEUS, inquam, qui legibus ipsimet homini proficuis hominem adeo liberaliter ducit, illegalitatis & anomiae potius contrarium omnibus modis agit, tantum abest ut ipsius *avouias* ullo modo causa sit.

§. IX. Interea DEUS, dum universali cum ipsis singularibus agentibus concursu suo naturales agendi vires in Feudi Specie comprehensas ad instantiam Feudatarii praestat, etiam illi, qui bonum renuit; optimè semper agit. Nam (1) *promissum servat*, & Subjectum, quod quae certas motus species, naturam sibi gratiosè concessam, non imaginariè tantum sed effectivè liberum agens esse debet, effectivum reddit; ejusque fidei moraliter committit id quod ejus fidei moraliter committere promissit: quod utrumlibet omnino justum est, imò necessa-

rium, ne *Mens non Mens* naturaliter dicenda veniat. (2.) *Beneficium* exhibet tùm erranti præsertim *delinquenti*, quando per ipsos actus naturales detegit ineptitudinem & malitiam ipsius mentis, aliàs latituram & incrementa capturam; ut agens ineptus emendatione reddatur aptus; & delinquens, dum adhuc in statu probationis est, ante solutionem Mentis à corpore convertatur, nec in altero Mentium, utpote nunquam desiturarum, statu, fruitione divinæ voluptatis excidat; quod prohibuisse certè bonum est: tùm *leso* per delinquentem (miraculosè tamen *sepius immuni*) cui DEUS hoc ipso *malum* *pœnae* temporalis ob alia peccata, vel *malum probationis*, fidei confirmativum, immittit, quod omninò quantumvis afflicto proficuum est.

§. X. Ita scilicet omni liberalitatis modo DEUS nititur, ut liberos liberaliter servet, ne Typum sui (libertatem eotypam, efficaciam divinæ summum apicem) frustra constituisse cogatur experiri. Nam *Liberi* liberaliter prosequendi sunt, si *Liberi*, non stipites, esse debent. Qui si peccant; naturaliter tantum, non autem moraliter, liberi sunt, nec DEO similes nec ingenui sunt; sed spurii sunt, servi Nequitiae sunt. Si verò ductum DEI sequuntur, dum agendo similes ipsi sunt; ingenui sunt, & nomen & jus liberorum, ex merâ tamen gratiâ, tenent, quod ipsis, ut de se, naturâ, rebus nihili, tantum imputatur.

§. XI. De tam immenso beneficio, quod homini nunquam non contingere Sole clariùs hinc elucet, præsertim autem de familiari perpetuaque conversatione cum ipso DEO, Creatore, Parente, Doctore, Ductore, nostro benevolentissimo, si quis primo saltem intuitu, seriò tamen, cogitat, licet solus sit; intra præcordia sua maxime statim gaudet: & dum ex ipso facto resciscit, Mundi *Stator* *rem*, quoad Mentem, qua sumus, non tam ortus, quam similitudinis ratione, quantum eidem insistimus, genuinum nostrum *Parentem* esse (corporis n. humani, tanquam instrumenti, *Factor* & *Fabricator* potius, quam parens, dici potest DEUS) igitur soliloquio, (libentius autem pleno socioquio,) filialis Devotionis DEUM hinc velut è longinquo quàm humillimè veneratus, in amplexum ejus propiorum summo desiderio proruit. Interea quantum potest, amicabilem Parentis ductum sequi, (*Philomathiam*, virtutum omnium radicem

cem exercere) non tam formidine pœnæ , quàm virtutis imò Parentis amore, cui filios, si diligere velint, assimilari decet, alacritate summâ nititur.

SPECIMEN SECUNDUM.

§. XII.

PRiusquam autem hanc dulcissimam ἀνάγκην; conatu supputandi primo subobscurius apparentem, obceptorum Expositione prosequatur supputator, qui prosecutivum hunc Demonstrationis actum, nisi cum aliis communicaverit, subire non potest; ipse verò cogitando semet-ipsam etiam solum certò firmare niti debet, ut solidum firmumque sit, quodcunque libertatis actibus exercendis fundamenti loco subest : igitur provida Mens, salutis suæ causa, naturæ principium etiam alterum in semetipsa conspicuum perlustratura, pergit sola secum habitare, Mundo saltem comiter observato. Cumque tantum gaudium ex obiter supputatâ ratione Status sui, totiusque mundi jamdum prælibaverit; plus ex obiter supputatâ ratione Motus & mutationis in devotam Mentem redundaturum esse facile confidit.

§. XIII. Secundum igitur & progressionale Specimen supputationis reflexæ quoad Multitudinem universam læta Mens aggreditur, quæ nititur ipsius UNITATIS fluxa seu fluentis, & Semel mobilis (unde Numeri modales progrediuntur) Demonstratione. Spectant huc quoad INTELLIGENTIAM:

1. Principia declarandi nempe (1.) Definitiones: Semel unum esse nihil aliud quam Totum, i. e. unum in se simul, nec plus aut minus ejus, sumtum: Bis unum, nihil aliud esse quam Bina tota talia, de quibus tò Bis immediatè dicitur. Et ita porro.

2. Principia Demonstrandi: nimirum (2.) Axioma Finitorum alterum (Bis unum esse duo) (3.) cum alterâ Mentis ipsius Experiencia: Totum Mundum nunc, ut prius adeoque semel, esse; nunc ut posterius, adeoque bis, esse: præterito tamen (antequam posterius oriatur) priore, posterius saltem denuò semel esse; consequenter, Mundum unoquoque momento de novo præsentem in essendo fieri. (4.) Computus: (DIVIDE tot momenta successivè præsentia per totidem successivè præterita; proveniet quoti loco tantum SEMEL fluxum seu fluens. Et vicissim pone finium quantamcunque copiam, eamque, dum ipsa copia semet-ipsam

ipsam naturā suā *subtrahit*, continuè **MULTIPLICATA** per τὸ **SEMEL** ordine numerorum alterum ac alterum; & produces *unum* transitoriè *semper idem* durans, Et sic è *Prosthaphæresi* modalis resultat altera.

SCIENTIA FUNDAMENTALIS.

Totum Mundum, vix dum præsentatum, præterire, mox denuò vix repræsentatum, denuò præterire, paucis, FLUERE, LABI.

Reflexio Mentis.

§. XIV. Attentiùs loquar: Ex ejusmodi positorum *prosthaphæresi* producti loco scitur: *Numerum* universum omnium in Mundo rerum suimetipsum nullitate propriā privativum, reali seu cofficā *numeratione* quodocunque positum (*cosa* namque seu *causa* rem, non fictionem, notat) ipsi *nibilo* totum de se *coæquari*; totumque sibi toti (posteriori priori) novā præsentia seu positione deinceps *additum*, præteritione propriā deinceps etiam ex aggregando semetipsum se *subtrahere*: totuplici verò repræsentatione *multiplicatum*, quotuplicis præteritionis *Divisori* multipulum commensuratur, Quoti loco nunquam plus quàm *semel* (*unum, totum, tale tanti* quid) facere, quantus primò positus erat **NUMERUS UNIVERSUS.**

SAPIENTIA.

§. XV. Cumque Computus hic realis **INFINITÆ SAPIENTIÆ** sit, quippe quo momentis singulis finitum omne, (τὸ πᾶν,) ab omnibus perceptibile ponitur seu præsentatur, & de se deficiens illicò reponitur & repræsentatur; Finitum autem, ut de se nihil, dum insuper & cogitatione præteritur, suis viribus è præterito, (quod est è nihilo) prodire nequit, ut sit aliquid, cum nihil qt. nihil, cogitare nequeat, adeoque se loco nihili percipiendum statuere, ne semel quidem, nedum toties possit; humana vero Mens, etsi millies nihil computando sumat, æquè tamen nihil producit, ac si semel nihil sumpserit: necessum est **DARI DEUM**, i. e. Dari Mentem infinitam, non unā prætereuntem, sed indefectibilem & æternam, efficaciter ita cogitantem, ut loco nihili totum Mundum in se simul (Semel) statuat, illudque Semel statutum cogitatione prætereat i. e. id Semel non amplius attentat; sed alterum, tertium, quartum &c. Vice præteritorum statu-

statuat, h. e. Mundum toties valere percipique posse jubeat. Et sic, tot perceptibilem toties repositorem supputatione, computum infinitæ Mentis sapientissimum pariter & efficacissimum advertit attendit Mens humana. Quæ, ne se præcipitet, initio, (dilatâ perlustratione positorum) calculi summos tantum apices attingit: ex quibus tamen jamdum adeo profundè sapit, ut non tantum ipsius Esse sui rationem status, ipsâ ratione motûs accedente, plenius intelligat; sed & ut in simul STATOREM suum ipsum & MOTOREM esse certo certius agnoscat: qui loco nihili tam efficaciter *numerando*, merâque *numeratione* summè sapienter unâ *computando*, totum Mundum hodieque statuit & movet, ita quidem ut non tantum easdem species hodieque cogitet, à novis autem speciebus ultra primò statutas ita valide cogitandis absteineat, & eatenus à creando quiescat; sed &, ut eundem omninò cogitandi modum hodiernum adhibeat, quem ab initio tenuit, humano nempe cogitandi mōri proportionatum.

§. XVI. Ita namq; Lux inaccessa, DEUS, loco purè nihili, quod extra DEUM est (loco Tenebrarum & Abyssii) (1.) certam *copiam subjectivam*, (i. e. id quod in rebus cognoscendis primò concipimus, & conceptu maximè confuso repræsentamus) cum imputatione Valoris & perceptibilitatis cogitat, ut CHAOS indigestum, diciturque *Materia prima*: cui digestionem primam in Mente nostra, tanquam LUCEM *primigeniam*, conciliat *Discretio* totius in partes & particulas à nobis etiam sine certo quodam ordine, nudis finibus interpositis, cogitabiles, quæ dicuntur, *Multitudo pura*, seu *NUMERUS purus*.

§. XVII. Cujus & totius, & cujusque partis, ut numeri partialis, unitates *ORDINE certo*, simul ac numerantur, etiam disponuntur à DEO, tum *simul*, & Ordo dicitur *Status*; tum secundum *prius* & *posterius*, & Ordo dicitur *Motus*. Cujus utriusque si binæ quantitates nobis *in Mente simul*, unâ quadam Ideâ seu specie, repræsentantur; binorum illorum communis ratio Status aut Motûs dicitur *SIMILITUDO*; si non simul, unâ tantum Ideâ, sed *seorsim* diversis Ideis, binæ quantitates *in Mente nostra* repræsentantur; Ratio Status & Motus dicitur *DISSIMILITUDO*.

§. XVIII. Quaternarum harum ordinis & formæ rationum singulæ quidem in unaquavis mundi parte spectabiles sunt: ut autem quælibet à reliquis tanto præcisius distingvatur, quamlibet DEUS cer-

tæ cuidam parti totius Mundi cum eminentia quadam cogitando
semper imprimit, & peculiari quodam actu cogitationis in hunc fi-
nem seorsim statutam ipsis oculis nostris exponit. Ita namque Mun-
di totius, & unius cujusque partis ejus, interna Multitudo ratione
STATUS. (2.) *similiter ordinata*, cum eminentia spectatur in *Aura cœ-*
lestis EXPANSO prorsus uniformi; sed (3.) *dissimiliter ordinata* pal-
patur in TELLURE tot ac tam difformibus mineralibus & vege-
tabilibus instructa: ratione MOTUS & successionis autem (4.) *simi-*
liter ordinata se prodit in Motu *Luminarium* ipsarumque Stellarum,
quo TEMPUS, i. e. omnium Entium durationem in essendo meti-
mur; (5.) *dissimiliter ordinata* deprehenditur in ANIMALIUM
omnem locomobilitatis varietatem referentium Motu.

§. XIX. Quibus omnibus instar immediati *Scopi* (6.) præfidet
HOMO: cujus Corpus totius Mundi compendium est, *Microcosmus*
inde dictum, Mens Imaginem Divinitatis refert, & est Idea realis, per
Computum Divinum ex punctis incidentiæ radiorum inaccessæ Lu-
cis ad nihilum (ad extra) directorum quasi reflexa; cujus intuitu Lu-
cem inaccessam, ut *Solem infinitum*, hinc, ut à familiari speculo, sva-
viter elucentem, velut à tergo videre cuique licet, modo missa tanti-
per animalitatis curâ secum habet humana Mens, ipsumque Com-
putum Divinum supputatione debitâ sequatur.

VIRTUS VIRTUTUM, PIETAS.

§. XX. Hunc ipsum enim Solem suum devotæ mentis Lucula,
radiis ejus accensa, non per affectatam somniantium; sed per natu-
ralem Sapientum, Ecstasin (per certam & indubiam, nempe per de-
monstrativam, contemplationem) quoties Naturam secundum Nu-
meros & Ordines scrutatur, ineffabili gaudio suspicit, & propterea
consuetum acquisitæ certitudinis de vero principio primo plausum
ευρηκα! ευρηκα! devotæ contemplationi præmittit: Imò sæpius im-
miscet, quando quicquid egerit, non minore veneratione ductum di-
vinum, ac Heliotropion Solem, & Intellectus & ipsius etiam Volunta-
tis intentione decretoque sequi satagit.

EXPOSITIO FORMÆ DEMONSRA- TIVÆ:

§. XXI. Ut autem demonstrativum gaudium è sinu Mentis, De-

Demonstrationi saltem auscultantis, tanto certius resultet, ipsaque promptitudo praxeos debitæ sine hypocrifeos suspitione sperari possit; maximè conducit, imò naturali modo necessarium est, ut auscultanti familiariter innotuerit *Modus productivè*, seu per SUPPUTATIONEM, demonstrandi, qui toto cœlo differt à modo predicativè, seu per SYLLOGISATIONEM, demonstrandi. Cum enim Syllogismus tantum verba diversa de rebus iisdem colligat, subsumentem semper idem sub uno pro multis talibus dicto (quodvis sub dicto de omni) facilè præsumere licet, ejus vim se tantum ad rationes Identitatis (inter unum & idem) in concreto dicendas extendere, solâque quantitate, latioris, aut contractioris, dictionis repetitæ, Conclusionis arietatem à Præmissis tueri: quo quidem ipso munere suo præcipuo Mathesin circa conceptus, (uti Grammatica circa Syllabas & Versus) exercet: cujus curam propterea, discipulis sat gravem, Logometron nostrum tanto compendio juvat, Syllogistica Reductionis difficultates omnes per simplicis coincidentiæ rationes oculares tollens.

§. XXII. De proprio verò Syllogismus in uno semper & eodem, uno collectionis actu, subsistit, nec rerum partiumve diversarum rationes (quibus tamen omnia finita constant, attingit eruendas. Imò ne Collector μεταβασις εἰς ἄλλο γένος committat, ne scilicet Identitatem, quam solam colit, ulla diversitatis determinatione turbet, seriò jubetur: etsi mentionem diversitatis (sed indeterminatam, quatenus oppositum Identitatis est, & à subjecto prædicatum, ut diversum, excludit) per τὸ non, non, non, facere non prohibeatur.

§. XXIII. Modus igitur prædicativè, seu per Syllogisationem, demonstrandi, quatenus Syllogisatione tantum utitur, i. e. quatenus ut ex dictis præmissis Conclusionem colligit, ita vicissim, præmissam Conclusionem, tanquam Dictum propositum, (aliàs jam vel per se vel aliunde notum) binis dictis, identicè cum proposito congruis, (vulgò dictis parallelis) & conterminis repetit; nihil aliud agit, quàm ut interpretetur. Id quod speciem Demonstrationis habet eo casu, quando tota Syllogisationis oratio, (dictum nempe parallelum utrumque, non minus, ac ipsum dictum explicandum) summæ veritatis (sæpius etiam summæ pervasionis) est:

§. XXIV. Ita namque v. g. nonnulli latini (1.) quod Ens sit

unum, demonstrare satagunt *ex essendi ratione*, seu, quod talis sit omnium Entium ratio, forma, natura vel essentia: quo labore Germani superfedere possunt, qui per ipsam phrasin sine demonstratione norunt; daß *Ein Ding eines sey*/nehmlich daß ein Ding ein Ding sey: Denn wer wolte bey den Teutschen an der Wahrheit eines Gleich-Klängs zweifeln. Idem & Itali, Galli, cæteræque Nationes, vernaculâ linguâ sapere discunt, intelligunt. (2.) Quod *Ens sit vel idem vel diversum* (quis dubitaret enim?) ex eo demonstrari putant, quod *Ens sit unum*: Synonyma tamen esse *Rem, Ens, Bonum, Aliquid, Unum*: (pro memoria *REBAV* dicitur) initio statim inculcant; imprimis autem, ne quis unquam aliud quid dici putet per vocem *Unum*, quàm per vocem *Ens*, sedulo monent. E. dum conclusionem per se claram ex verbis æquipollentibus etiam ex obscurioribus declarant, demonstrare sibi videntur (3.) *quod omne corpus* (i. e. omne materiatum, i. e. omne partes habens *extra partes*, i. e. omne quod *extensum* est) *sit quantum* (i. e. sit *extensum*, ita namque sumunt *quanti* vocem) ex eo demonstrant, *quod omne corpus sit extensum*, cujus demonstrationis facies hæc est:

Quicquid est extensum illud est extensum:

Atqui omne extensum est extensum

E. omne extensum est extensum.

Quod omninò summæ certitudinis est; sed exiguâ Sapientiâ medium hoc demonstrandi plus quàm Propositio Mentem perfundit. Nec ex unisonotali quicquam gaudii resultat, quod ipsum tamen genuinus est character veræ demonstrationis, júbilo consuetò *Q.E.D.* semper obfignandæ. Summæ persuasione autem exemplum est. (4.) quando *quod homo sit risibilis*, ex eo demonstrari contendunt, *quod sit rationalis*: cum tamen tantò minus rideat homo, quanto ratione rectius utitur.

§. XXV. Et hæc sunt illæ demonstrationes, nempe *dictionales & predicativæ*, quas unicâ Syllogisatione perficere licet; quales etiam interdum in ipsâ Mathefi recitantur. Nempe vel instar *intimationis* subsequituræ demonstrationis veræ, vel instar *Epilogi* præmissæ, quando flexuosos catenæ demonstrativæ sinus involutione Spiræ totius in unum fasciculum ante vel post expositionem singulorum colligimus,

mus,

mus, ut sit nota memorialis, initii vel finis ipsius actus demonstrativi: tantum abest, ut ipsam Demonstrationem absolvat.

§. XXVI. Demonstrationes autem veræ, nempe *productionales* & *computativæ*, non per *collectionem* contractivam antea notorum, (ubi Summa minor est datis colligendis) nec per *repetitionem* antea dictorum; sed per ignoti cujusdam ex notis *productionem*, absolvuntur, quæ plusquam tribus verbis utitur, & longiores moras trahit, quam ut eodem halitu recitetur. Cujus apparatus cap. I. vidimus. Ubi tamen, quod apprimè notandum est, compendii gratia non semper, sed *tantum in intricatis supputationibus Rationum*, adhibemus SYMBO LA certa, v.g. *litteras aut notas arithmeticas, seu cyphas*, à quibus peculiari voce *computus* dicitur **CALCULUS**:

§. XXVII. In Rationibus autem minus intricatis, tum *vulgariter*, in rebus agendis, (quas Oratione quidem intimamus; non autem nisi computo gerimus, & eatenò Mathematici sumus omnes) tum *seiscitanter*, in rebus cognoscendis; sine calculo computamus, quando merorum ipsâ Mente seiscitante productorum à primis Veritatibus ad propositam usque Veritatem continuè progredientium catenam necimus, raro *Quicquid, Atqui, nedum est, est, est*, interloquentes; plerumque *Cum, Ergo; Cum, Ergo*; pro vinculo concatenatorum Demonstrationis articulorum singulis productis interponentes.

§. XXVIII. Operæ pretium autem producendo factum esse, characteris instar est, quod Productionis operatione feliciter peractâ lætitiæ Spiritus exsultet, & è sinu Mentis supputantis, propter sapientiam hinc impetratam, procedat. Qui Jubilo Q.E.D. (*quod erat demonstrandum*) omnes Sapientiæ cultores ad communionem gaudii convocat. Nec enim hic figulus figulum odit, si novi quid alteruter detexerit, sed alter alteri congaudet, eo quod vera Sapientia commune bonum sit, abunde sufficiens ad utrumque beandum: & quod uterque norit, non inventoris activitati sed ductui Divino, seiscitantibus præsentissimo, quodvis inventum humano generi proficuum acceptum esse ferendum, cujus Nectaris pocillator tantum est inventor primus.

§. XXIX. Cumque Veritas, ἀνάγκη productivæ Demonstrationis eruta, tantâ firmitate (blandissimis tamen spontaneitatis ligaculis), Mentem constringat & vinciat, ut Libertatem ipsam ultro

subsistere faciat, animumque non nudè constantem, sed ἀμεταβλήτων
& ἀκίνητον h. e. indeclinabilem, & immobilem eat. reddat: (id quod
svavissimum Sapientiæ quasi pulvinar est, quo nixa Mens securif-
simæ quietis usurâ fruitur, ex imo corde gaudet, & ab oppositi metu
quieta solâ voluptate svaviter exultat) fieri necessum est, ut non de-
biliori stimulo concordēs adeò confirmatæque Mentēs ad Veritatis
demonstratæ Praxin, si quam jubet, excitentur, quando Demons-
tratio non suspectis persuasionibus, ; sed perspectis ad imum usque ra-
tionibus tum objecti, tum ipsius Mentis, utitur: quibus Mentēs, de-
monstrationum gnaræ, Veritatem eam practicam (eam bonitatem)
sibi maximè congruere penetranter certò vident: cùm demonstra-
tionum ignaræ mentēs, præsertim topicis rationibus in utramque
partem omnia ventilantibus adsvetæ, semper habeant, quòd exci-
pant, limitent, opponant, in ipso scirpo nodum quærentes.

§. XXX. Cum enim ipsa Voluntas humana naturaliter ea tan-
tum, quæ sibi maximè congruere videntur, inter alia simul oblata,
semper eligat, quippe quæ nihil omnino, nisi sub ratione melioris sibi
visi probat, appetit, eligit, & fieri decernit: igitur fac, ut scias (non
opineris) imò fac, ut sapias, hoc præcisè bonum verè melius esse
viso; non adeò reuēt id voluntas: fac, ut sapias, hoc apparens bo-
num esse verè malum, & voluntas facilius id respuet. Adeò, (sal-
tem à parte Mentis,) electionem veri boni proximè iuvat intimè certa
seu demonstrativa boni notitia: quàm quæ generalia Scientiam, quo-
ad singulares etiam Casus & quantitates præter speciem definien-
das, Sapiētiā dicimus: quæ si per Demonstrationē productivā s. per
ordinarium DEI ductum acquiritur, ordinaria dicitur & naturalis;
si verò sine Demonstratione per illuminationem aut infusionem im-
petratur, extra-ordinaria dici solet & supernaturalis.

§. XXXI. Cum autem in doles productivæ Demonstrationis, non
ex abstractis regulis, sed ex idoneis exemplis, familiariter innotescat;
igitur, ut prima Specimina tantò clariora reddantur, unum & alte-
rum Specimen ex secundis huc transferemus:

Exempli loco sit

Utilissima veritas, ut ut non adeò profunda, quam ope Matheseos
jam à multis seculis productam Mundus universus extremo fiducia
gradu prosequitur & credit, eique confidit: pauci namque rationem

Veri-

Veritatis aliam norunt, quam communem consuetudinem & usum
receptamque publicè sententiam, adeoque fidem in hoc negotio sim-
pliciter & sine limitatione catholicam.

Demonstratio productiva Veritatis
AUREÆ REGULÆ, vulgò DE TRI,
cujus tenor hic est.

*Prosthesis tertii cum secundo per aphrasin primi resoluta, reddit quar-
tum terminum tribus datis proportionalem.*

Exemplum I.

Demonstratio Regulae de Tri
quoad *Rationes Arithmeticas.*

Spectant huc 1. *Definitiones* tanquam Principia Scientiæ saltem
recitandæ, quorum habitus dicitur **APPREHENSIO** vel *Intelligentia*
ditionalis.

Arithmetica Ratio dicitur *Valor duorum finitorum, ead. homoge-
neorum inter se, nomine multitudinis puro definitus.*

Estque vel compositiva, diciturque *Ratio summalis* ipsaque **SUM-
MA**, v. g. 7. inter 4. & 3. quâ 4. tantum valere dicuntur, ut cum
tribus faciant 7. & tantundem vicissim 3. cum 4.

Vel divisiva, diciturque *Ratio differentialis* ipsaque **DIFFEREN-
TIA**, qualis est 1. inter 4. & 3. quâ 4. tantum valere dicuntur, ut uni-
tate plus quam tria faciant: & e contra 3. tantundem minus quam
4. faciant. Et hæc *Ratio κατ' ἐξοχήν* *Arithmetica* vulgò dicitur.

2. *Principia productivè Demonstrandi*, quorum habitus dicitur
INTELLIGENTIA *productionalis.* Quo spectat

(2.) *Axioma*: Si equalibus addas equalia, tota sunt equalia.

(3.) *Experientia*, quam in tradendis scientiis **HYPOTHESIN**
dicimus, v. g. dantur, & supputanti proponuntur, **TRIA** compa-
randa; quæriturque **QUARTUM**, ut producendum; quorum qua-
ternorum bina priora differentiam habent eandem, quam bina posteriora,
quatenus homologò sumuntur ordine. v. g. dantur a. & a + b :: x.
quæritur x + b. (4.) *Computus* a + b + x = a + x + b. Qua-
propter ex Prosthaphæresi prodit

SCI-

SCIENTIA Directa.

Quod bina certa differentia, binis ejusdem differentie permutatim addita, reddant summas æquales.

Reflexio Mentis.

Quoniam autem additorum alterum, è summa vicissim subtractum, relinquit alterum solum, per $\kappa\omicron\iota\sigma\eta\nu\ \epsilon\nu\nu\omicron\iota\alpha\nu$; igitur

REGULA DE TRI proportionis Arithmetica.

Si trium datorum tertium addas secundo; & à Summa (quæ Summæ primi cum quarto æquatur) subtrahas primum; habebis quartum

Q. E. D. $\epsilon\kappa\theta\epsilon\omicron\iota\varsigma$.

1. $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\kappa\epsilon\nu\eta$: Sit minus (a) differentia dicatur (b) majus igitur erit (a + b.) Cui quantuscunq; valor, (x) addatur; addatur etiam minori (a) tantò plus quam (x) nimirum (x + b)

2. $\Delta\iota\omicron\theta\epsilon\omicron\iota\varsigma$. Dico: Summas æquari.

SUPPUTATIO s. Demonstratio computativa:

Cùm æqualib9 (a. = a.) addantur æqualia, nempe tum (x = x.) tum (b = b) tota erunt æqualia. Q. E. D.

SAPIENTIA prima.

Quâ rationes universalissimæ singularibus cæjuscunq; speciei simpliciter applicantur. Id quod præstat (1.) quoad speciem;

CALCULUS per Symbola

Sit a. Spatium, a + b. loco spatii cæmentum,
x + b Murus, x. lapides.

Summa a + b. + x Murus = a + b + x lapides & cæmentum.

(2.) quoad quantitatem, CALCULUS per Cyphras

3. 4. diff. 1. Ergo datis 3. 4. 5.

6. 5. diff. 1. 5.

9. 9. 9.

prodit 6. quartus quæsitus.

SAPIENTIA SECUNDA.

Quâ rationes universales singularibus certæ speciei peculiariter, v. g. ratione certæ motûs, applicantur.

EX Demonstratione Regulæ de Tri pura faciliè resultat
THEOREMA mechanicum quod inter desiderata nonnullis habetur.

VECTIS (aut STATERA) vim metricam circa certum hypomochlion extremitati brachii majoris incumbentem tantò plus juvat sustinere (vel sustollere) molem à minore brachio pendentem, quaniò major est differentia brachiorum. Vid. Fig. 1.

Reductio ad SCIENTIAM.

Concipiantur utraque momenta nitentia, corporibus etiam aliàs heterogeneis inexistentia, tanquam homogœna copia seu multitudo virium per hypothesein extra se mutuò, sub figura prismatum æquè crassorum; & quidem, cum gravia semper ex medio sui puncto rectè pendeant, concipiatur unumquodque prisma duplo longius quàm homologum sibi brachium: & prismatum horum permutatim ad homologa brachia positorum non tantum centra gravitatis correspondebunt extremitatibus Vectis (aut Stateræ) sed & simul ambo se mutuò tangent, unumque continuum prisma facient, cujus medium præcisè tenet hypomochlion. Nam utrobique terminus minor dicatur a. diff. b. major erit a + b. fiat additio terminorum permutatim positorum

a.	a + b	Brachia;
a + b.	a.	Gravia,

$$\text{Sum. } 2a + b = 2a + b. \text{ Q. E. D.}$$

Ergo: Si gravia differentie certæ permutatim applicentur brachiis ejusdem differentie; totius compositi nitentis medium præcisè tenet hypomochlion: E.

Inæqualia gravia brachiis similiter inæqualibus permutatim applicata, servant æquilibrium.

PROBLEMA pro Miraculo.

*Da ubi pedem figam, & Terram Tu
movebis.*

Resolutio.

Jugi per hypomochlion inæqualiter, in ea proportione quâ momentum Terræ, momento nifus tui respondet, divisi brachio minori Terram, majori manum, applica; nitere, Terra movebitur.

ARS Stathmopoëtica, constantis hypomochlii

Brachio minori lanx applicetur, quæ brachium majus ad æquilibrium sustollat: Dividatur hoc brachium majus a l mensuram minoris; & habebis loca mobilis antisacomatis, quod toties tantam sui gravitatem molis secum in æquilibrio pendens arguit, quotus locus est ab hypomochlio. Vid. Fig. 2. Usus eximius vulgò notus.

Exemplum. II.

Demonstratio Regule de Tri

Quoad Rationes geometricas.

Spectant huc 1. Definitiones ut APPREHENSIO, vel
Intelligentia dictionalis.

Geometrica Ratio dicitur Valor duorum finitorum inter se, nomine multitudinis modalis definitus: Modus autem multitudinis est, quando Mens multitudinem, realiter quomodocunq; dispositam, idealiter ordine sibi perspicacissimo refert, nempe quadrirectangulo, quod unitatum æqualibus seriebus super series mente collocatis constituitur. Quoad rem autem purus adhuc numerus est, & ipsæ series numeratæ purum numerum faciunt. Hinc Vices pro Numero tanto; Numerus quisque pro tantâ Vice, sumi potest. Ipsa vero Ratio similiter est

Vel compositiva, diciturq; Ratio productiva, seu PRODUCTUM, ut 12. inter 4. & 3. quando 4. tantum valere dicuntur, ut ter sumta (tribus seriebus tantis constans Copia) faciant 12. & vicissim 3. tantum, ut quater sumta (quatuor seriebus tantis constans Copia) faciant 12.

Vel divisiva, diciturque Ratio commensuralis, seu QUOTUS, ut 3. inter 12. & 4. quando 12. tantum valere dicuntur, ut per 4. divisa seu mensurata, mensuram (quaternarium) ter in se contineant, adeoque tot (nempe tribus) tantis vicibus (nempe quaternariis) æstimentur. Et hæc Ratio καὶ ἕξοχὴν Geometrica vulgò dicitur; imò simpliciter & per Antonomasiam RATIO, sc. Valoris, vocatur, tanquam Ratio Materia: Cui contradistinguitur ORDINIS Ratio, tanquam Ratio formalis alibi declaranda. Quibus utrisque rationibus omnium rerum finitarum Ratio, Natura, Constitutio, tanquam Essentia completa, constat.

2. Principia productivè Demonstrandi, quorum
Habitus dicitur *Intelligentia* productionalis.

Quo spectat

(2.) *Axioma*; *Æqualium* æquè *multipla* sunt
æqualia.

(2.) Cum *Experientia* vel *Hypothesi*.

Dantur supputanti comparanda tria, quartumque producendum, quorum bina priora Quotum habent eundem, quem bina posteriora, quatenus homologo sumuntur ordine: seu quorum primum ad secundum ratione Quoti se habet, sicut tertium ad quartum quæsitum: antecedente mensuram præstante, consequente rem mensurandam in utraque bigâ supponente, v. g.

Dantur a. 2a. :: x. quæritur 2x.

3. 6. :: 2. 4.

Componantur hæc productionaliter, & prohibet **SCIENTIA**.

Quod bina finita certi quoti cum binis ejusdem quoti permutatim tantuplicata, reddant æqualia producta.

Reflexio Mentis.

Quoniam autem Tantuplum, si per alterum sui factorem commensuratur & resolvitur, emitit alterum, ut hic inde procedat seu proveniat, prodeat, & in mente seorsim compareat, per κοινήν ἐννοίαν. Nam si ter quatuor, i. e. tres quaternarii, qui sunt æquales ipsis duodecim, resolvantur, h. e. si tot quaternarii quot adfunt in 12. mente tollantur, habebis tres quaternarii vices subeundas, eo quod tres sint quaternarii: vel si secundum vices (3.) numerum (12.) resolves, singulis vicibus habebis 4. unitates: vicissim quoniam unitates homologæ quaternariorum (ternorum) singulæ tantundem (nempe tria) faciunt; unitates secundum quaternarium progredientes, designabunt tot vices, quot ternarii continentur in 12. E. si terminorum alteruter sumatur pro mensura summæ; prodit alter ut commensura: prior efficiens, posterior coëfficiens appellatur.

E. REGULA DE TRI proportionis geometricæ.

Si datorum trium, tertium tantuplicaveris cum secundo; productamque

(quod æquatur producto primi cum quarto) divideris per primum; habebis quartum. Q. E. D.

Ἐκθεσις.

(1.) Κατασκευή. Sit in priore Ratione mensurans a . mensuratum $2a$; sed in altera mensurans x . æquè mensuratum. $2x$. Tantuplicetur $2a$. per x ; & a . per $2x$.

(2.) Διαθεσιμὸς; Dico: producta æquari.

Demonstratio.

Cùm enim æqualia, nimirum (a . & a .) tantuplicentur per æqualia, nempe tum per (2 . & 2 .) tum per (x . & x .) producta erunt æqualia, Q. E. D.

SAPIENTIA prima.

(1.) Quoad speciem :

(2.) Quoad quantitatem :

CALCULUS per *Symbola*.

CALCULUS per *Cybras*.

a .	$2a$.	2 .	4 .
$2x$.	x .	6 .	3 .
<hr/>			
$2ax$.	$2ax$.	12 .	12 .

SAPIENTIA secunda.

Theorema :

VECTIS æquè crassi brachium majus pendit minus in ratione duplicatâ longitudinum (quæ producitur si nomen rationis longitudinum in se ducitur, unde vocatur quadrata.) v. g. si majus brachium fuerit triplum minoris; pendit majus triplo triplum i. e. noncuplum minoris. Vid. Fig. 3.

Reductio ad SCIENTIAM.

Cùm enim distantia centri gravitatis, brachii majoris ($x \frac{1}{2} a$) totupla sit distantie centri brachii minoris ($\frac{1}{2} a$.) quotuplum est brachium majus (xa .) minoris (a .) per κοινήν ἐνοσίχων: una pars brachii majoris, quæ minori æquatur (a .) pendit totuplum (xa .) brachii minoris, quotuplum minoris est majus, per propos. præced. Atqui tot sunt brachii majoris partes æquales minori, quotuplum est brachium majus minoris, nimirum (xa .) E. totuplo-totuplum

tuplum minoris (xxaa.) pendet brachium majus, quotuplum minoris est brachium majus Q. E. D.

a. 2p. xa.

a. 2p. xa.

aa.

xxaa.

Problema paradoxum,

Momentum oblongi solidi quantumvis augere, subtractione certæ partis.

Resolutio.

Affigatur oblongum hypomochlio, quod partem imperatam à reliquo separet; & reliquæ partis momentum erit in tantum auctum.

Expositio.

V. g. Si jugum æquè crassum pendat, 10. lib. ejusque momentum augendum sit in octupla ratione (80. lib.) addatur unitas, & ex summa (81.) extrahatur radix quadrata (9.) addatur unitas ut fiant 10. & in tot partes dividatur Jugum, ut quælibet pars sit (1. lib.) figatur hypomochlion ad finem primæ partis; restabunt (9.) quorum momentum momenti primæ partis erit (81.) subtrahatur unitas, propter contrapondium primæ partis; & restabunt 80. momentum totius octuplum.

ARS Stathmopoëtica sine Antifacomate.

Crenæ secundum jugi longitudinem præmissâ ratione divisam, utrinq; factæ inseratur hypomochlion mobile; appendatur moles extremo minoris brachii; moveatur hypomochlion, donec æquilibrium obtineatur: & jugum solum explorabit mercium momentum.

Vid. Fig. 4.

Usus commodus, vulgò notus.

Epilogus.

Ex quibus apparet, omnes habitus Mentis certos in unâquavis Demonstratione perfectâ locum habere: nec Scientiam genuinam dari, nisi cum Virtute (saltem quoad Mentis plenam propendentiam, si quantitatis aliquid deficiat,) conjuncta sit. Tantò proinde minus eruditum, quâ Scientiam genuinam, judicaveris, quantò minus virtuosum expertus fueris, utut doctus omninò maximèque literatus

tus & *πεπαιδευμένος*, fuerit, quin receptis Scholæ præceptisque sententiis instructus, omnigenis literis surgeat. Nam in literis (non æquè in Scientiâ genuinâ) proficere simul ac in moribus deficere possumus: quo casu tamen quoad rem, & extra literas, plus defici quam profici Proverbium vulgare monet. SCIENTIÂ verò genuinâ frui nequaquam potes, nisi per *Analysin* ad utrumq; rerum finitarum omnium principium (purum & modale) tanquam ad extremum utriusq; supputationis terminum, Tetractyos Apicem, Parnassi Verticem, à propositâ Veritate tanquam ab objecto directè progressus fueris; indeq; vicissim exercitâ *Synthesi* versus objectum collineans per extremam Meritis reflexionem, è fluxo totius Mundi *Simplo*, pariter ipsoq; *Nibilo*, (cujus utriusque character est principium Supputationis utrumque) tanquam ex tetractyci Telescopii Scibilium binoculari Lente, DEUM ipsum ut à tergo Sole clarius elucentem advertas, humillimâque veneratione suspicias: quem ita suspexisse, *χαίρειν & ἐυσεβείην* est. Licet enim peractâ qualibet & ad animum revocatâ Supputatione, quod rem acu tetigerimus, omnino gaudeamus, & propterea, dum operamur, *Philomathiam*, Virtutum omnium radicem, ex professo semper exerceamus, ductuique divino velut inhiantes tum de nobis ipsis modestè sentire, tum aliorum, etiam tyronis, monita comiter & obsequiosè respicere consuecamus; (quas virtutes in uno saltem hominum genere, nim. inter Arithmeticos quâ tales, adhuc vigere spem certam facit, etiam reliquos, si Mente secundû Arithmeticam uti consueverint, radices virtutum, rixosis amaras, bonis instar ipsorum fructuum dulcissimas esse, similiter experturos fore:) non tamen perfectè gaudemus neq; Virtuti nos totos consecramus, nisi per extremam quam diximus reflexionem Mens advertat, supputando se cum ipso DEO familiariter conversari, DEUMq; non, nisi Mens è primis ipsius supputationis principiis se reflectat, velle naturaliter à nobis in hoc statu videri. Quâ Visione naturali Mens excitata cum Angelis, utpote qui DEUM sibi præsentem æquè naturali sibi claritate vident, intonat:

*Gloria in excelsis Deo; & in Terra Pax;
Hominibus bona Voluntas!*

Error Calcographi:

Cap. I §. 24. lin. penult. lege: Veritatum §. 31. lin. 8. Computus §. 36. lin. 5, doctiores.
Cap. II, §. 1. lin. 19. lege: *illo*, res non incipit, sed ante, &c.